

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-495492-p0001-8

Aus d. Griesbach. Auction

Nf. 59.1.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-495492-p0002-4

CVRARVM
IN
PSALMVM SECVNDVM
POSTERIORVM
PARS I.

DISSERTATIO CRITICO - PHILOLOGICO - EXEGETICA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE GVESTPHALIAE CET.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

ET LEGENDI FACVLTATEM RITE IMPETRATVRVS

A. D. XXII. MART. MDCCLXXXIII.

VIRORVM ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

M. IOANN. GODOFRED. HASSE

VIMARIENSIS

SOC. LAT. IEN. AE EPIST.

IENAE,

LITTERIS STRANCKMANNIANIS.

Non semper est desperandum, aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri. Neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, vt vna de re bene dici, nisi semel, non possit, nisi forte histrionum mutus circa voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis, vt dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod inuenimus, esse, neque par, est certe proximis locus.

Quinctil. Instit. Or. L. X. 5.

CAROLO AVGVSTO

EXOPTATISSIMI FILII

PARENTI FELICISSIMO

MVSAGETAE

AC

PATRIAE PATRI

AVGVSTISSIMO

S.

Roma ſibi Auguſtum, Carolum *) ſibi Gallia laudet

En CAROLVM AVGVSTVM! nomen vtrumque gerit!

Sit Carolus Chriſti, vitae Fridericus †) honeſtae

Cultor, Vimariae CARL FRIDERICVS adeſt!

Aurea, nos canimus, coelo delabitur aetas!

Virtuti pietas iungitur atque decus!

*) Carolus Magnus.

†) Fridericus ſapiens, pietatis auctor et cultor.

Cum omnes omnino odae et carmina, quae Psalmorum nomine sacris litteris continentur, apud eos, qui aliquid valent in interpretando nec abhorrent ab hebraeae poeseos venustate, magni habentur: tum illud imprimis carmen, quod *vulgo numeramus secundum a)*, ita eminet inter reliqua, vel argumenti vi et pondere, vel dictionis grauitate et nitore, vt difficile videatur aliud hebraeae poeseos opus laudare, quod dignitate hoc aequet nedum superet. Et quanquam in eo explicando ingenia diligenter exercuerunt complures Viri κριτικώτατοι, omnem tamen dicendi materiam exhausisse credendi non sunt.

 Nam

a) Nimirum, si veteres sequaris, numero potius primum, quam secundum est. Ita tradunt *Origenes* (cujus verba lege in Montefalconii Hex. Orig. T. I. p. 475.) *Talmud*, *Hieronymus*, *Cod. Casselensis* et ipsum *N. T.* Actor. XIII, 33. ἐν τῷ ψαλμῷ πρώτῳ (edd. vulgares δευτέρῳ. Vid. S. V. *Griesbachii* N. T. ad h. l.) cf. Michaelis et Knapp. ad h. ps.

Nam et κρισις magis erat acuenda, et in philologicis multa desiderabantur et argumentum ipsum dignum erat, quod accuratius expenderetur. Itaque nos, scribendi opportunitate allata, quanquam ad manus erant, de quibus poterat scribi, plura, non ingratum laborem susceпturos esse putabamus, si ceteris longe anteferremus hoc, in eoque judicum peritorum et lectorum non inelegantium sententiam experiremur. Diuisimus autem in tria ista capita, quae dicenda habuimus, atque ita egimus, vt crambem multoties coctam reponere vereremur, eaque ipsa, quae minus necessaria aut vtilia videbantur, recideremus.

I. Critica.

Ac *critica* quidem paucis poterunt absolui. Quid enim credamus effugisse sagacitatem Ill. *Michaelis*, *b*) *Koehleri*, *c*) Cl. diligentiam? Interdum tamen et spicas legere profuit, nec poenituit nos vestigia tantorum Virorum pressisse.

V. 2. ורזנים) Syr. et Ar. principes *ejus* sequente *et*, quasi legerint ורזניה ונוסרו, quod interpretationem magis sapit quam versionem. Trahebant enim hoc ad מלכי ארץ volebantque et hos *terrigenos* dici, pugnante paralleliſmo, quanquam non aduersante sensu.

3. עבתימו) LXX του ζυγου αὐτων, Vulg. *iugum* ipsorum. Item Aeth. Ar. et Syr. Vnus Chaldaeus pluralem extulit, *catenas* eorum שַׁלְשְׁלָתְהוֹן. Legisse videntur, qui singularem habent, עֻבּוֹתְמוֹ (iugum eorum) idque ex horum auctoritate praeferimus, maxime, cum et *codices Kennicottici* consentiant, *d*) quos vide.

4.) Le-

b) Bibl. Orient. T. X. p. 224. sqq. et ej. *Anmerkungen zu der Ueberſ. der Pſalmen*, *erſte Ausg.* p. 2.

c) Repertor. Litter. Bibl. et Orient. T. III. p. 4. sqq.

d) Labores Kennicott. fere frustra in medium vocauimus. Ita parum bonae frugis sunt, faciuntque vt curatior DeRossiana opera auidius exspectetur!

4. Legerunt veteres prope omnes post לְמוֹ, יִשְׂחָק vt recte vidit *Koehler*. Notandum etiam erat, LXX, Vulg. et Syr. exprimere copulam ו in אדני (Lect. varians a *Kennicotto* obseruata, est יהוה quae innumeris locis exstat) quam insertam ab illis, non lectam puto ex Ps. LIX, 9. — Habent ad finem versus *ci* O, Διαψαλμα (סלה) neglectum reliquis. Vnde vetus obseruatio exstat: *διαψ. ου κειται παρα Σ. ηϕ̀ Θ.*

6. ואני) Particulam ו omiserunt Syr. et Ar. de industria, vt credo; ille vt loqui Deus non rex, (habet enim lectionem vulgarem) videretur; hic vt subiectum dirimeret a praedicato. — انا اقامني الرّبّ ملكًا منذ „Ac *me quidem*, constituit Dominus regem de se, (h. e. suo ipsius impulsu.) *e*)

7.) Paulo prolixior dicendi copia dabitur ad hunc versum. Ibi, rite expensis versionum antiquarum discrepantiis et accurate conciliatis earundem lectionibus, lectum fuisse antiquitus, hodieque legendum esse videtur (י) מַמְלַכְתֵּהוּ אֵל־תֹּךְ, nempe (י) abbreuiato vno pro יהוה, forte etiam duplici. — Ac Participium quidem, quod monuerunt alii ante nos, habuerunt Alex. Vulg. Syr. *f*) Aqu. Theod. cum vers. VI. De

e) Mirum est, quantum in voce נסכתי reddenda varient veteres. Eminet *Chaldaeus*, qui vertit: *Vnxi et ordinaui* vtramque vocabuli significationem expressurus; idem omittit mox, nescio, qua de causa, על־עיון. — Aquila ἐδιασαμην. (Lexicon vetustum explicat διαζευγ̀ orditur.) Cod. Colb. vnus, (teste Montefalc. l. c.) ἐσωσαμην, διεσωσαμην, Vers. sexta ἐσωσα. Quid tandem hoc? Si me consulis, legerunt נסכתי a סכך tegere, saluare (σωζειν) Ex. XXV, 20. Vnde ipsa radix נסך confunditur crebro cum סכך v. g. Ies. XXV, 7. Iud. III, 25. alibi. — Quare non erat, quod in dubium vocarent illud διεσωσαμην, de mendo, Cl. *Köhler* l. c. et *Fischer* spec. Clau. Vers. Gr. V. T. p. 40. restituentes ex oscitantia librarii ἐδιασαμην.

f) Arabem Polygl. Lond. quem in hunc censum retulit cl. Koehlerus l. c.

De אֵל autem, ſequente poſt חקֹ nota compendiaria *g*) (י׳) pro יהוה (ſaluo altero יהוה) nobis perſuadent:

I. LXX. διαγγελλων προςαγμα κυριȣ· κυριος rel. Hic το אֵל latet in διαγγελλων. Sic enim exprimi putabant optime ספר אל

II. Syrus: ܥܠ ܩܝܡܝ. ܡܪܝܐ. Recte, vt nos volumus אֵל חקֹ־י יה. (י) enim, quod nota compendiaria forte carebat, ſuffixum eſſe credidit.

III. Arabs: vt in nota (*f*) exſtat — *decretum domini: dominus*. אֵל omiſit, Alexandrinum ſecutus.

IV. Vulg. *praeceptum eius: dominus*. חקי etiam permutauit, quod ſaepe ſolet, cum חקֹו

V. Anonym. V. εἰς Θεȣ διαθηκην h. e. אֵל חקֹי״. Θεος etc.

VI. Aqu. et Theod. προς ἰσχυρȣ ἀκριβασμον. Vides legiſſe אֵל חק י, poſterius autem (י) explicaſſe per אֵל ne crebrius occurreret.

VII. Hieronymus: Annunciabo dei praeceptum: dominus dixit rel.

Repugnare videtur vnus *Chaldaeus* cuius interpretatio eſt: אֶשְׁתָּעֵי קְיָמָא דְיָי *enarrabo ſtatutum dei*. Exſtat tamen varians lectio, quam ſeruauit Syr. Pocock. 2. et Vſſer. *h*) אשתעי דֶאֱלָהָא קימא ייי cui vides ineſſe אל חק י״

Porro

l. c. excludimus. Ecquis enim ex his verbis: لَأُخَبِّرُ أَمْرَ ٱلرَّبِّ ٱلرَّبُّ vt *enarrem ſententiam* — tertiam potius perſonam exprimere audeat, quam primam? forte vtramque lectionem conflauit.

g) De notis compendiariis mature in codice s. adhibitis vide Cl. *Eichhornii* noſtri *Einleitung ins A. T.* 1. *Th. p.* 176.

h) *Walton* Polygl. Londin. T. VI. ad h. l.

Porro nollem delere cum aliis ה Paragogicum, participio masc. additum. Hoc enim posito, (licet contra regulas grammatices vulgaris atque ex poetis concessa licentia *i*) caussa demum reddi potest, quae faceret, ut מספרה ob insolentiam mox mutaretur in אספרה quod tritum ac vulgare est.

יולדתיך) anomaliam ex duabus formis conflatam me iudice *k*) non infert, si a יָלַד deriuetur, non a יָלַד. Caeterum (י) posterius omittitur in Mstt. quibusdam Kennicoticis.

10) Ante שבטי habet Ar. كُلِّ *omnes*, consentientibus codd. Kennic. sine vrgente caussa.

12.) Scribunt post יאנף ὁ κυριος, LXX, Vulg. Ar. et Hieron. non, quod sic legerent, sed quod ita interpretarentur, vt credo. Innuunt enim, de deo haec esse intelligenda, non de *filio* (בר) qui ex Syro praecessit. In quo quidem habent me consentientem. Adiicit Arabs etiam عَلَيْكُمْ *super vobis* non alia de caussa.

ib. ותאבדו דרך) LXX. ἐξ ὁδὸς δικαιας. Vulg. ne pereatis de *via iusta*, Syr. ܡܢ ܐܘܪܚܗ de via *eius*. Ar. *et erretis* عَنْ سَبِيلِ الْعَدْلِ *de via iustitiae*: Chaldaeus: ותתהובדון אורחא (Aphel) et *amittatis* (rectius: *deperdatis*, *deprauetis*) viam. Si quid iudico, legerunt omnes in Hebraeo והאבדו quam lectionem presso, vt solet, pede, sequitur Chaldaeus, alii explicant magis, quam transferunt. Sicque ob sensus facilitatem restituo.

Reliqua huius generis, quae obseruauimus, cum sint vberioris argumenti nec proxime huc spectent, aliis occasionibus seruamus. Pergimus igitur ad

i) cf. Alb. Schultens. Institt. ad fundam. L. H. p. 451. sqq.

k) et ante me Schultens. l. c. p. 153.

II. Philologica.

Regis Israelitarum eximii deoque inprimis cari, qui imperii fasces a Iehova traditos habebat, eosdemque diuina fauente beneuolentia hactenus tuitus erat, *l)* tranquillitatem et securitatem a barbaris quidem regibus et exteris nationibus turbatam, dei autem beneficio inconcussam, descripturus poeta *m)* furore actus, in mediam, quod aiunt, rem lectores rapit, facitque ut coram ipsis, tanquam spectatoribus res agi videantur. Quare carmen sic orditur, vt regem ipsum de diuino auxilio certum, fingat mirantem nefarios hostium conatus (v. 1. 2.) deinde ipsos bella molientes inducat loquentes breuiter et audaciter (v. 3.) Hos reprimit rex diuinitus constitutus (משיח) *primo* nuncians, quod non tam se, quam Iehouam ipsum,

quo nihil maius generetur ipso

oppugnent, qui frangere eorum impetum et possit et debeat, cum ipsum ordinauerit (v. 4-6.) *deinde edens* nobile illud oraculum, quod de sua in ipsum beneuolentia et eiusmodi coeptis impiis prodiderit aliquando deus, vnde, quam propitium sibi habeat Numen, appareat. (v. 7-10.) Sequitur admonitio vt desinant audaculi, hostili esse animo et ad meliorem frugem redeant, nisi magno sibi detrimento esse malint (v.

l) Natales enim huius imperii describi hoc carmine, induci non possum, vt credam. Pugnat v. 2. משיח, – v. 6., מלכי totum comma septimum, immo fictionis omnis imago, quae regem tanquam creatum antea repraesentat. Bellantes autem non tam ciues sunt perduelles, quam reges exteri et nationes a cultu Iehouae alienae. Vid. S. V. *Doederleinii* nostri Instit. Theol. christ. (ed. alt.) Tom. II. p. 348.

m) Quisquis demum ille sit. Nam Dauidis esse neque inscriptio docet, neque dictio patitur, quae floridior, immo audacior est Dauidica, quanquam non negem, ad Dauidem forte pertinere omnia. Optimum foret, poetae eius aetatis feruidiori (forte Asapho) ne ipse Dauid se laudare videatur, carmen tribuere. Caeterum certi nihil in hoc genere licet definire.

(v. 10-12.) Hoc vnum et verum huius carminis argumentum esse, non tam sententiarum inter se nexus et ratio, quam singula verba probant, in quibus explicandis nunc versabimur, ita tamen, vt ea tantum, quae aut non sui esse duxerunt, aut monere obliti sunt, nouissimi Psalmorum interpretes *n*) proferamus, reliqua vero sicco, quod aiunt, pede transeamus.

1. למה. *Quousque* — et *quem in finem*. Vox ardentis et increpantis. Iam enim ardebat Cic. cum ista scriberet: Quousque abuteris, Catilina, patientia nostra! quem in finem etc. Catil. or. I. 1.

רגשו *strepunt*. Onomatopoeticon est — concursantium et incomposite ad res nouas moliendas conuolantium vndique sonum indicans. Chald. רגש dicitur de tonitru. *o*)

גוים et לאמים) *barbari*, *hostes:* Proprie gentes sunt extra Palaestinam — deinde hostes quique, Graecorum βαρβαροι, Latinorum *hostes* (Cic. de offic. L. I. c. 12.) Vnde opponuntur interdum τοις עמים s. tribubus Israeliticis (Psalm. LXVII, 3.) interdum promiscue dicuntur. cf. Ps. LIX, 9.

יהגו ריק) subsannientes trepidant, vulgo; *meditantur vana*. Male quidem, quippe pugnante parallelismo, egregio interpretationis adiumento, *p*) et poetae consilio. Etenim conatuum istorum vanitas iusto maturius declaratur frigetque

 sen-

n) Nempe S. V. *Doederlein* in Auctar. Grotii s. Annotatt. in V. T. libros poeticos. Halae 1779. 4. p. 71. sqq. et *Knapp*, Psalmen-Vebersetzung. Halle 1778. 8.

o) Senserunt hoc etiam veteres, teste Symm. qui vertit: ἔθνη κυκᾷ ταρασσει.) Origenes in vno regio. „Εμφαινει δε ἀσημον ἠχον των θορυβουντων ἡ λεξις„ V. Montf. ad h. l. et Drusius.

p) Lege de parallelismi ad interpretandum vtilitate, Herders Geist der Hebr. Poesie I. Th. p. 18. sqq. Michaelis ad Lowth. p. 390. ed. 1770.

ſententiarum ordo et conformatio. *q*) Mallem et hoc vtrumque onomatopoeticon putare, quod naturalem trepidantium et cum murmure ad tumultum confuſe concurrentium ſonum exprimat. Ac de הגה quidem certa res eſt. Etenim Ar. هـجـي eſt 1) ſubſannauit 2) connexit litteras in ſyllabas, 3) C. VI. et VIII. ironicis dictis mutuo ſeſe inſectati ſunt. Vnde هـجـاء rana. هـج etiam vox eſt excreantis aliquid ex pectore. Hoc fere ſenſu Hebr. הגה legitur Ieſ. XXXVIII 14. de columba garriente, c. LIX, 11. de leonis mugitu (cf. Pſ. IX, 17.) Et huc forte ſpectat, הגו quam lectionem obſeruauit Kennicottus. ריק autem anhelantis et rongizantis vox eſt, vnde Ar. رِيق eſt, anhelauit in agone mortis. Vid. Gol. et Caſtell. ad h. v. Hebr. רק et inde deriuata vocabula eiusdem generis ſunt. Caeterum qui aegre a verſionum antiquarum fide reuellor, hic non poſſum quin plane ab iis recedam. Meditationum enim vanitatem, quam omnes proferunt, concoquere non poſſum. *r*)

2. מלכי ארץ. Proprie ſunt reguli Palaeſtinenſes, Canaanitici et affines, qui hoſtibus illis, et profanis gentibus de

q) Melius *Schultz*, et qui eum ſequitur *Doederlein: ſpumam aeſtuant*, niſi dubia eſſet Etymologia. Nam ſi vel maxime concedas, ריק Ar. رِيق (mallem רק) eſſe ſpumam, obeſt tamen הגה, quod ſignificationem illam aegre admittit.

r) Obiter monere liceat, Arabis illud: هذب بِٱلْبَاطِلِ *deliraverunt vanitatem*, ſuſpectum mihi videri de mendo. Scribendum ſine dubio ذهب mutatis litteris. Hoc enim (cf. Schultenſ. Origg. Hebr. p. 263) eſt, abire, praeterire, praeſtrictos habere oculos, (ex intuitu auri) *opinari* (הגה μελεταν) et conſtruitur cum باطل vt Lexica docent. Cf. Matth. XIV, 16. Luc. VIII, 3. Caſt. et Gol. ad h. v. هذب autem in alia omnia potius abit.

de quibus v. 1. sermo erat, imperant. Hoc autem loco videntur subesse reges *terrigeni* in genere, humana sorte nati et humanitus constituti, quibus statim opponitur (v. 5.) rex diuinus, a deo creatus et factus.

נוסדו יחד) malo sensu, conspirant, coniurant ad caedem (עד) et nefaria quaeque. En verborum delectum elegantem, et *κλιμακα* venustate non carentem! — — strepunt, trepidant, rebellant, coniurant!

3. עבתימו) vulgo *catenas eorum*. Mallem iugum eorum, conclamante antiquitate. Ar. ܥܒܬ est: disposuit supellectilia mercesue; Vnde ܥܒܝܬܐ vestimenti genus ex pilis fere caprinis, clitella, sarcina. (H. עבות) Idem vult Syr ܥܒܝܬܐ Ar. عبث vt Lexica demonstrant. Scriberem igitur, vt dixi, עבותמו. Eodem sensu componuntur *ζυγος* et *φορτιον* Matth. XI, 30. cf. Ps. CV, 22. Ier. II. 20.

4. אז ידבר אליהם באפו) Vulgo: tunc loquetur ad eos in ira sua. Hiat sententiarum conformitas, cui consulatur necesse est. In altero membro est, confundet, soluet eos, quod in priori postulat simile quid. Iam male affert ill. Michaelis ad h. l. *ὑψος* quoddam orationis, quae innuat, vel vnam Numinis diuini vocem sufficere ad comprimendos hostes. Idem enim illud Numen hostes mox iubet conquassari et contundi quouis modo. Quare alio modo medendum censemus. דבר saepe est, *loqui cum vehementia*, *minari*, *conuiciari*, imo *perdere* et *delere* penitus. Vnde דֶּבֶר pestis. V. Ps. LI, 4. L. 12. (cum ב) Construitur cum אֶל eodem sensu Ies. XXXIII, 6. 2 chr. XXXII, 19. 1 Reg. XXII, 23. alibi. Confirmat Ar. طبر sequente ضرب h. e. moliri necem. 1 Reg. XXI, 5. alibi. Caeteroquin omni dubio eximitur haec interpretatio, si conferas inter se, 2 Chron. XXII, 10. cum 2 Reg. XI, 1. Nam quod ibi est תְּדַבֵּר hoc loco redditur תְּאַבֵּד s) Quibus

ita,

s) Quae dum scribo, idem fere attulisse, non sine voluptate animaduerto

ita constitutis, particulam אָז tanquam poeticam et abundantem, vt saepe (Dan. V, 24. VI, 12. Iud. V, 8. 19. Chald. אדין Syr. ܗܝܕܢ Ar. اذا) negligimus, certe nihil magis tribuimus, quam tribuit ei Aben Esra ad Exod. XVIII, 1. לשון קדוש לומר לשון עתיד תחת עבר עם מלת אז h. e. „Mos est linguae sanctae, vt cum dictione אָז futurum pro praeterito obseruetur„ *t*) mallem adiecisset, vt eius ope res futuras tanquam praesentes pingant poetae, quod esset etiam aptius. *u*) Denique vix opus videtur monere דבר cum אֶל nihil nisi exquisitiorem et magis poeticam esse locutionem, nulla emphasi subiecta, vt paullo post ספר אל. Quae, cum ita sint, verterim: *Quam perdet hos iratus deus!*

יבהלמו *soluet*, *dissipabit eos.* Quamuis discrepent in hac voce definienda veteres et recentiores interpretes; id tamen omnes dabunt, primariam huius vocabuli significationem esse, *liberum dare*, *dimittere*, *soluere*, de rebus sensui subiectis; *secare*, rumpere, Piel *turbare*, *perturbare*, (*maledicere* raro) Niph. *solui* h. e. rumpi, dissolui Graec. λυειν, λυεσθαι (v. c. ὠστεων λυθεντων Anacr. c. IV.) Qua significatione, quemadmodum nihil est simplicius, ita quoque nihil aptius. Conueniunt enim veteres, LXX, ταραξει, Syr. ܢܕܠܚܘ Ar. يُزْهَلُ, conuenit Ar. بهل et Syr. ܒܗܠ. Vid. Lex. conuenit

aduerto *Geierium* ex *Camio* (Kimchio) Grammatico eruditissimo. Cui tamen calculum non subscribo in eo, quod אלימו vertat *fortissimos eorum* contra sensumbonum. Cf. Geier. commentar. in Psalmos p. 19. edit. Amstel. 1695. Drusius ad h. l.

t) V. *Michaelis* (l. D.) Arabische Grammatick p. 54. ed. 1771.

u) Acute S. V. Doederlein: *iratus eos inclamabit*, vt אז nomen sit, (Ar. أزّ ardere, furere,) furoris Ps. LXXVI, 8. Obesse videtur, quod statim additur, באפו, quod feruorem et iram indicat, ita vt pleonasmus oriatur non facile ferendus. Abhorret etiam a dictione Hebraea, furorem inclamare in ira, vt de parallelismo neglecto taceam.

nit loquendi vſus in locis parallelis Ier. LI, 32. Pſ. XC, 7. Pſ. VI, 3. et, quod familiam ducit, Pſ. LXXIII, 16. 18. Ibi יבהל componitur cum דרשׁ h. e. vltus eſt, puniuit etc. Nolem igitur *maledictionem* vrgere cum Mich. et Knap. propterea, quod veteres, quorum, niſi alia cogat vis praeſentior, ſancta fides eſto, *v)* de ea ne cogitarunt quidem.

7. מספרה אל חק. *Ego vero enarro decretum dei.* ספר Ar. سفر Syr. ܣܦܪ memoria recolendi et enarrandi notionem comprehendit, et vtramque h. l. exprimit. Iungitur אֶל שׁד Pſ. LXIX, 10. absque peculiari vi, vt ſupra diximus. חק eſt ſtatutum, oraculum, decretum. Ar. حقّ verus fuit, ſtatuit. De ſenſu totius loquendi formulae et ratione, qua eſt ad totum contextum, nihil melius, quam conferre, Pſ. LX, 8. LXII, 12. LXVIII, 12. vbi oratio eodem modo rumpitur diuino oraculo interpoſito, vt mentes capiantur et incendantur.

Carmina non prius
Audita Muſarum ſacerdos — — — canto. Horat.
III. 1.

בני אתה אני היום ילדתיך *filius meus es tu — a me genitum hodie te profiteor.* Abſtineo nunc verboſius id exponere, quod infra fuſe tractabitur. Profuerit tamen h. l. praelibare paralleliſmum verborum exactum et rem vnam bis, variis verbis expreſſam. Nam אתה (tu es) includit alterum היום, quod de tempore in genere valet, et בני idem eſt ac מִמְּעֵי יְלַדְתִּיךָ. Quare

v) Digna eſt, quae h. l. repetatur *Koehleri* de hac re ſententia, vt Arabizandi et Syriſſandi libido, quae latius in dies ſerpit, coerceatur. Legitur Repert. litt. Or. P. III. p. 4. ad hanc ipſam vocem יבהל. „Das Wort בהל, das auch ſonſt und im Chaldaeiſchen und Samaritaniſchen *ſchrecken* bedeutet, kann zum Beyſpiel dienen, wie leicht die morgenlaendiſchen Dialecte gemisbraucht werden, wenn man den Alten wiederſpricht. Denn im Arabiſchen heiſst بهل *fluchen*, und in der vierten Form *ſchmeicheln*; im ſyriſchen hingegen *ruhig ſeyn* und ſchweigen, und im Aethiopiſchen eben das Wort, *anreden* und *widerſprechen*.„

re nec היום erat vrgendum, nec varianda ſignificatio, quod fecerunt alii. Vnum hoc affirmatur: Tu filius mihi es — a me genitus — cui non repugno vera eius rei pignora dare — inſtar illius:

— proles haud inficianda parenti —
— — Non tu meus eſſe negari
Dignus es et veros — — — edidit ortus. Ouid. Metamorph. II.

8. Quoduis pete munus et illud — me tribuente feres. ib. אפסי ארץ — terra, qua patet: poetice dictum putes pro ipſis regum illorum bella inferentium terris, quam notionem reperis ineſſe huic formulae Pſ. LXI, 14. LIX, 14. cf. Mich. Pſalmen-Anmerk p. 199. ſq. Latinorum: *Terrarum orbis.* Me duce et auſpice vinces.

9. De נפץ nihil addo, poſtquam accurate, vt ſolet, originem eius indagauit Schultenſ. origg. Hebr. p. 43. ſqq.

10. גילו) Nihil aptius interpretatione *Doederleiniana*: et *tremite venerabundi*, ſ. rectius: *obite eum* h. e. colite *cum veneratione.* *w)* Ar. جال proprie eſt *in orbem ire, trepidare, vltro citroque nouere ſe.* Vnde de quauis, *mentis* etiam, agitatione et affectu, ſiue laeto, ſiue triſti, de timore et gaudio adhibetur. *x)*

12.

w) Legendum enim ex vetuſtatis teſtibus locupletiſſimis: גילו לו, quod probauit Koehler ad h. l. Vnde ſine dubio codd. manuſcr. apud Kennic. גלולו.

x) Idem probant verſiones antiquae. Ar. سَبَّحُوهُ vulgo: *laudate eum.* Eſt vero سبح ire, obire, deinde precari, laudare —. Chald. צלו quod a צלל potius deriuandum eſt, *tinniuit, palpitauit*, tremuit, quam a צלה aſſauit, precatus eſt. Reſtat Syrus, qui habet ܘܐܘܝܢܘܢܗܝ h. e. *et tenete eum*, contra morem huius interpretis, qui verba ſolet premere. Librarii mendum irrepſiſſe putauerim, ſcriboque mutato punctulo: ܘܐܘܝܢܘܢܗܝ cunctamini, *trepidate*, ab ܐܝܢ pone fuit, Aphel: ܐܘܝܢ moratus, cunctatus eſt, trepidauit.

12. נשקו בר) Admittite correctionem: *id, quod rectum eſt, tuemini.* Ita enim malo vertere cum plerisque veterum, ex contextu et nexu ſententiarum commodo, quam vulgare illud tueri, *oſculamini filium.* Antea enim de correctione animi ſermo erat, quae nihil aliud volebat, quam vt reges illi meliorem de Iehoua deo potentiſſimo notionem informarent animo (חשכירו חרסרו) cui conuenit, quod mox ſequitur, יאנף יבער ſc. deus ille vobis potentior. Quare oſculum filii, neſcio cuius, male immiſcetur: caeterum non querar cum iis qui id praefracte voluerint defendere. H. נשק Ar. نسق proprie eſt trahere, P. attrahere, admittere, deinde oſculari (Gr. ἁπτεσθαι.) בר autem eſt integritas. Ar. بر H. ברר indicat *liberum eſſe, purum* item et *integrum.* Vnde בר et בר vitae integritas Pſ. XVIII, 22. 25. Pſ. XIX, 9. יבער et יאנף de deo Iehoua explico, vt volunt veteres et poſtulat ſenſus. Haec ideo moneo, quod video plures, qui ad filium trahant omnia immo diuinitatem aut excellentiam quandam filii inde extorqueant, me non probante.

ותאבדו דרך) et *deprauetis, perniciosam* vobis reddatis viam, h. e. ne damno vobis ſit haec agendi ratio, in quo veteres ſequor. Neque enim ſatisfacit mihi explicatio vulgaris, pro בְּרֶגַע *cito, celeriter*, aut illa: *propter* vitae rationem. De ſignificatione vocabuli v. Prou. XII, 6. Pſ. I, 6. XIV, 1. rel.

* * *

Iam, ut, quam lucem ſingulis huius carminis locis affuderimus, quamque in reliquis, explicandi rationem et lectionem ſimus ſecuti; omninoque ut fictionis venuſtas et pulchritudo, uno quaſi obtutu cerneretur, placuit, verſionem eius teutonicam, eamque metricam ſubiungere. Videant periti, utrum contigerit nobis ingenium poetae et ſenſum ubique aſſequi; ſtudio certe noſtro ac diligentiae nihil defuit. Notulae autem adſperſae et verſionis noſtrae rationem reddent, et egregium verborum delectum, imaginumque ſubtilitatem digito quaſi monſtrabunt.

1. Was *brauſen a)* ſo *Barbaren b)* *auf* —
Schwärmt keichend a) Volcksgetümmel *her!*
2. Empör'n ſich Erdenkönige,
Verſchwören Fürſten ſich,
Iehouen und, den er geſalbt, zu ſtürzen *c)*?
3. Zerreiſen woll'n wir ihrer Feſſeln Band,
Abwerfen *d)* dann ihr drückend Ioch! „
4. Der Himmels-Throner lacht darob,
Erhaben — ſpottet ihrer — *er!* *e)*
5. Erzürnt ſprüht er Verderben aus,
Ergrimmt zerſtiebt er ſie! *f)*
6. Denn ich bin Koenig — eingeſezt von ihm —
Auf Zions heil'ger Hoeh! *g)*
7. Wie denck ich an den Machtſpruch noch,
Den er einſt gab! Hier iſt er ſelbſt! *h)*

„Mein

a) Ita expreſſimus onomatopoetica illa — רגשו — יהגו ריק ut ipſo ſono, quid ineſſet vocabulis, proderemus, nec a poeta in deligendis verbis relinqueremur.

b) גוים. Neque enim erat in promtu vocabulum, quod peregrinitatem et hoſtilem animum ſimul comprehenderet. Delegimus igitur hoc, quod ciuitate apud nos donatum eſt.

c) Vix enim breuius dari poterat, quod in textu eſt: נוסדו etc.

d) Vide an reſpondeat hoc proprietati verborum נתק et שלך et latenti in ipſis aptitudini.

e) Sic circumſcripſimus ארני vt reſponderet יושב בשמים qui in priori membro eſt, et paria paribus referrentur.

f) Vide quae ſupra a nobis diſputata ſunt. ירבר diſiunximus a יבהל illudque in pernicie a deo exeunte, hoc in eadem in capita hoſtium ruente poſuimus. Aſſurgunt autem per gradum אף et חרון vti ירבר et יבהל quod aſſequi ſtuduimus.

g) Secuti ſumus lectionem antiquiorem, multis iisque grauiſſimis teſtibus confirmatam: נסכתי מלכו—קדשי cf. Koehler ad h. l. Nec commode ſane loquitur haec deus.

h) Erat nimirum tota ſententia quodammodo inuertenda, vt poeſin vernaculam ſaperet.

„Mein Sohn, sprach er von mir, bist du,
„Der Erstgezeugte mir!
8. „Sprich, was du wilst — der Feinde Land sey dein
„Vnd Erdenfernen *i*) dein Besitz.
9. Dein eisern Scepter quettsche *k*) sie
„Zerschmettre sie gleich irdnen Scherben!„
10. Nun Könige! hierüber dencket nach,
Ihr Landesobren; *l*) ändert euren Sinn!
11. Habt Scheu für Iehoua, dient ihm
Vnd heil'ger Schauer dring' in euer Herz. *m*)
12. Thut Recht, sonst glüht *sein* Zorn,
Verderbenbringend *n*) ist die That!
Vrplötzlich flammet seine Rache!
Heil dem, der auf ihn traut!

III. Exegetica.

Restat, ut, quinam ille Rex sit, de quo tam egregia canantur, quaeque omnino vis insit huic carmini ad explicanda religionis dogmata, dispiciamus. Iam, qui animo ad hunc psalmum adeat integro, et a priuatis opinionibus libero, modo non sit historiae Vet. Test. imperitus aut ni-

 mium

i) אפסי ארץ. Vide supra.

k) In verbis tenues cautique maluimus שבט de sceptro sumere, quam de baculo aut claua, quae regem non decet, eique accommodauimus רעע; Quandoquidem sceptrum immissum in caput, *contundit* potius et *conquassat*, quam *confringit*; in vasa fictilia, *conterit* — Secuti etiam sumus pluralem כלי pro בלי veriorem et rectiorem.

l) שפטי ארץ *principes* potius sunt et belli duces, quam iudices, quod ex libro iudicum patet, Carthaginiensium *suffetes*.

m) Ita gaudium terrori inepte iunctum amouimus.

n) Ex nostra, quam supra dedimus, explicatione. Hoc enim requirebatur amplius, vt admonerentur, de iniusta, quam agerent, causa

mium imbutus vaticinia de Christo ubique captandi cupiditate, eum *Dauidem* potius, regem praeter caeteros Deo carum, aut similem ipsi animo rebusque gestis *Salomonem* esse agniturum, nulli dubitamus. Videbit enim, quae hic canuntur, plurima de his valere sensu proprio; historia, qua nihil est verius in hoc genere, teste; caetera, quae sublimioris forte elocutionis videantur, furori, (Enthusiasmum vocant) poetico, adscribet. Neque improbamus nos tale iudicium; sensu potius, qui debet esse bonorum interpretum, veritatis et decori dignum pronunciamus. Nam, quod in auctoribus reliquis, bono cum emolumento interpretationis, fieri solet; quare; quaeso, id non faciemus in sacris? *o*) Quod de pluribus psalmis tentauit et non sine felici successu perfecit, Ill. Michaelis, ut ex historiae luce ipsa psalmorum illustraret argumenta, quid impedit, quo minus idem in hoc fiat? Ecquis porro est, qui cum *Horatium* aliumue feruido ingenio praeditum poetam canentem audiat augustum sui temporis imperium, aut *Virgilium* felix aliquando nasciturum aeuum, repudiata gentis et aetatis, quae tum erat, aut proxime sequebatur, memoria, in remotiori velit versari adeoque in obscuritatem ex clara luce deprimere poetam? Idem in sacris libris faciendum censemus, *p*) nisi grauiores obstent leges et rationes, quae aliter suadeant. Hoc igitur consilio, ut ad rem veniamus, psalmum, quem tractamus, cum historia accurate contulimus, et lectis, quae ad Dauidem aut Salomonem spectant, qui praecipui Israelitarum reges sunt omnibus, nihil aptius inuenimus, quam illud tempus, *quo Dauidi*, *q*) *regi Zionis facto et solemniter inuncto, cum exteris nationibus, praesertim autem cum rege Nisibeno et foedere*

o) Lege (Herders) Briefe das Studium der Theologie betreffend 1 Th. p. 1. sqq.

p) cf. *Langens* C. G. exegetische Versuche 1 St. N. 2. p. 55. sqq. 1770. 8.

q) Senserunt id quodammodo ante me *Grotius*, *Clericus*, *Kimchius*, aliique sed diuersi a meo, vt quiuis videt, consilio.

dere cum eo iunctis, Edomitis, Zabaeis, Ammonitis etc. erat pugnandum. 2 Sam. VIII, 10. ſqq. *r*) id quod נוים — הר ציון, מלכי ארץ, משיח, et חק יהוה h. e. oraculum ipſi per Nathanem de hac re diuinitus datum, 2. Sam. VII. probant. Quare, cum carminis ipſius conſilium et rationem ſupra exhibuimus, nunc id agemus ut, quam egregie in hanc Dauidicae vitae partem cadant ſingula, oſtendamus, ſimulque, quae proprie dicta ſint, quae poetice, quae vere dicantur, quaeque figurate, et quam amice omnia cum aliis aliorum V. T. ſcriptorum immo ipſius Dauidis effatis conſpirent, enodemus.

Et in uniuerſum quidem, ſi ornatum demas poeticum imaginesque exuas, nihil continet carmen praeter ſententiam tritam illam ac Dauidi familiariſſimam:

„Cui deus auxilio eſt, nullo vincetur ab hoſte.„

יהוה בימיני בלאמוט Pſ. XVI. 8. XXI, 8. ſqq.

poetice exornatam et ad hanc ipſam rem, de quo agitur, accommodatam. Iam a commate primo ad ſextum, nemo prudens rerum ſpectator et lector attentus dubitabit, quin haec unice inſit ſententia: „Nihil agitis, nihil molimini, reges, contra eum regem, cui Iehoua auxilio eſt, „ quae interrogatione, et variatione ſententiae per κλιμακα, item hoſtium ſermocinatione propoſita, pingitur et ornatur, cuius venuſtates ſupra excuſſimus. Obſeruetur modo hoc et accurate teneatur, communem fuiſſe Iſraelitarum, praeſertim poſtquam Zionem montem occupauerat Iehoua, tabernaculo et arca ibi depoſita, ſenſum et loquendi uſum, hoſtes ſuos hoſtes Dei putare. Ideoque eorum niſus et audaciter facta contemnere ſolebant dei auxilio freti, quo nihil eſſet praeſentius. Porro, ſe victuros eſſe facili negotio aduerſarios eadem de cauſa, ſibi perſuadebant. Nam ita ratiocina-

r) Lege, vt extra omnem dubitationis aleam collocetur res, Pſ. XLIV, LX. LXXXIII. et ante omnia *I. D. Michaelis* hiſtoriam bellorum Dauidis cum rege Niſibeno. Ei. Anmerkungen zu Pſ. XLIV, LX. et *Ioſephi* Antiqq. L. XVIII.

bantur: qui hostis nobis est, idem aduersatur Iehouae; qui huic repugnat, impius et nefarius habendus est, adeoque injustam agit causam (הרשיע) Quorum causa iniusta est (רשעים) ii nunquam vincunt; vincunt ii, qui puri sunt animo, qui Iehouam deum colunt, (צדיק — זכה) quorumque a partibus stat veritas et iustitia.„ *f*) Hoc uno sumto cadunt difficultates huius psalmi plures, et facile intelligitur, quid sibi velit: השכילו — הוסרו — נוסדו על־יהוה ועל משיחו — נשקו בר etc. Quare, quod h. l. v. 1.-2. figurate exprimitur et artificiose, id simpliciter effertur Ps. LXXXIII. (quem coniungere legendo et conglutinare cum hoc nostro utile erit) v. 1. 2. etc.

איבך יהוה יהמיון — נשאו ראש — יערימו סוד־נועצו עליך etc. „hostes tui tumultuantur, Iehoua! caput tollunt! rebellant! conspirant!„ etc. Porro Dauid משיח vocatur (h. e. *rex* 1 Sam. II, 10. 35. XII, 5. XVI. 6. XXIV, 1. 11.) Ps. LXXXIX, 39. coll. 1 Sam. XVI, 13. et משיח יהוה Ps. XX, 7. מלכי ארץ autem aperte sunt reges Canaanitici Ps. LXXVI, 13. LXXXIX, 23. 28. Quod v. 3. effutiunt temerarii, audaciter et per allegoriam, id Ps. LXXXIII, 5. nude efferunt: detrectemus imperium eius (Dauidis) et bello extinguamus populum: נכחידם מגוי cf. v. 13. Nam מוסרות et עבות nihil aliud sunt, quam *leges imperii*, quod ad h. l. egregie demonstrauit *Doederlein ὁ πανυ.* V. 4. supra composuimus cum Ps. LXXXIII, 6. ubi verba fere verbis in eadem re et causa respondent. Neque turbat nos v. 6. siue nopiscum legas, siue scriptionem vulgarem tuearis. Si prius, habes *regem* omnem in *deo* spem et fiduciam collocantem, quae confundi non possit, cum se a deo factum et creatum regem profiteatur, (quae nostra sententia est.) 2 Sam. II, 4.) Eo sensu populus

f) Digna, quae copiosius tractetur, materia, quamque frustra quaesiuimus in vulgaribus libellis ad explicationem psalmorum pertinentibus. Liceat igitur addere, consilium nos cepisse libelli scribendi „Veber die Dogmatick und Moral Dauids, einen wichtigen Aufschluss der Psalmen.„

pulus aliquando precatur pro regis salute Ps. XX. 10. יהוה הושיעה המלך — sis propitius, Iehoua, *regi tuo* coll. v. 7. Sin posterius, deus eadem loquitur eodem sensu eademque vi. Ad quam sententiam nihil melius est, quam legere Ps. LXXXIX, 21. בשמן קדשי משחתי דוד עבדי „Vnxi *Dauidem* familiarem meum, oleo sancto.„ En locum similiorem nostro, quam ouum ouo est! Sed nolumus laborare in re; quae luce meridiana est clarior.

Peruenimus ad arcem quasi explicationis nostrae, et nodum Gordium, ab aliis dissecatum, facili ratione soluendum aggredimur. Hactenus belli spectaculum viuide pictum; nunc rex hostes refellens, diuino fretus auxilio. Quae simpliciter poterant pronunciari „Videte ne vobis damno sitis; ego enim rex sum a Iehoua constitutus ipsique dilectus„ sed sine omni ornatu oratorio nedum poetico, ea, ut vim faciant acriorem, et regis modestiam declarent, qui forte suas ipsius laudes praedicare videatur, ita inuertuntur ut Deus loquens fingatur. Moris autem esse diuinis poetis oraculo loquentem deum inducere, supra tetigimus. Laudatis exemplis adde: Ps. XLIX, 5. LXXXI, 6. et LXXXIX, 20. Et quanquam aliis in locis oraculum ipsum fictio poetica, et ornamentum est, tamen hoc in loco, ob lucem, quae toti carmini affunditur, promissionem Dauidi a Deo per Nathanem factam, quae 2 Sam. VII. legitur innui et subindicari putamus, collato maxime Ps. LXXXIX. 1 Chron. XXII, 10. XXVIII, 6. Cardo autem orationis diuinae v. 7-9. omnis in eo vertitur, ut dicat: „Ego vero te, qui mihi prae ceteris es carus, defendam ab hostibus et tuebor„ quare ita infit: *Tu mihi es filius, ego hodie genui te.* Hic nihil dicam de eo, reges etiam apud Aegyptios t) *filios dei* (Θεογενεις, Θεοτρεφεις) esse vocatos, quod alii obseruarunt, neque de eo, magistratus Hebraeorum et iudices interdum אלהים, בני עליון, etc. nomine venire, Ps. LVIII. LXXXII.

t) Diodorus Siculus Libr. I, 90.

LXXXII. Ex. XXII, 7, 8, in quo forte pluralis obstet, quo minus clare res pateat; sed scripturam, quod ajunt, ex scriptura explicabo. Ita per Nathanem Dauidi nuntiat Deus simpliciter 2 Sam. VII, 9. se illi fuisse auxilio et hostes expulisse ante ipsum; mox v. 14, cum idem *Salomoni* promittendum erat, cum aliqua temporis futuri diuinatione, (Nam de *Messia* illum locum explicare interpretum est, leges hermeneuticas migrantium et historicam fidem omnem ejurantium *u)* his verbis exprimitur הוא יהיה לי לבן *erit ille mihi filius.* Vnde vides, dei filium esse et patrem deum, habere, regibus (interdum etiam aliis) fuisse proprium qui singulari dei amore ac cura perfruebantur. Porro Ps. LXXX, 17. eadem imago deprehenditur, quippe Israelitae diuinae curae commendati, vineae comparantur Iehouae, ipsorumque *rex surculo* a deo plantato, quod ita describitur: כנח אשר נטעה ימינך ועל בן אמצת לך „Serua, quod plantasti, filium inprimis (h. e. regem ex v. 18.) quem tibi educasti„ Quod, quam egregie conueniat cum Ps. II, 7. videre non obscurum est. Quid? quod ipse Dauid בכור יהי primogenitus Iehouae dicitur, quod in altero membro sic explicatur עליון למלכי ארץ *supremus regum esto*, vincet hostes, adeoque, quod ex contextu patet, deo praecipue commendatus. Quod autem sequitur, אניהיום ילדתיך idem est, licet aliis verbis, ex perpetuo et nunquam fere negligendo Hebr. parallelismo. Eandem allegoriam exhibet 2. Sam. VII, 14.

אני אהיה לו לאב והוא יהיה לי לבן. „Ero illi pater et erit mihi filius.„ De Dauide idem dicitur diserte Ps. LXXXIX, 27. 28.

הוא יקראני אבי את אלי וצור ישועתי
אף אני בכור אתנהו עליון למלכי ארץ

qui

u) Vid. I. D. Michaelis kritisches Collegium über die drey wichtigsten Psalmen von Christo. Goettingen 1759. p. 461. sqq.

qui locus pſalmi noſtri optimus eſt commentarius. Ipſe etiam Dauid de ſe fateri haec eadem audet v. c. Pſ. LXXI, 6. בך נסמכתי מבטן ממעי אמי אתה גוזי h. e. „Tibi traditus ſum ab utero, ex viſceribus matris traxiſti me.„ Quid hoc aliter vult, quam: tu mihi es pater, idque probas recens genitum me excipiendo atque in ſinu tollendo, qui ritus patrum erat in agnoſcendis liberis genuinis? *v)* coll. Pſ. XXII, 10. Pari modo אב et ילד ſibi reſondent Ier. II, 24. cf. Deuter. XXXII, 6. De חיום autem non eſt, quod ſolliciti ſimus. Quid enim, ſi ornatus cauſa et poetice adiectum eſſe dicamus? Nonne poetarum eſt, exquiſitis loquendi formulis uti pro vulgaribus, res ſubtiliter perſequi, et omnia tanquam nunc dicta actaque repraeſentando lectoribus illudere? Praeterea ne ſic quidem otiatur חיום. Etenim ſi ad ritum in declarandis liberis recens genitis ſpectat, ita neceſſarium videtur, ut, hoc ſublato, ritus ipſa alluſio cadere videatur. Manet ergo, quod initio diximus, idem duplici modo deſcribi, ſine emphaſi aliqua aut recondito, neſcio quo, ſenſu.

Nunc reliqua perſequamur. v. 8. 9. victoria Dauidi de regibus bella minantibus promittitur — „Tu vinces i. e. gentes ſubiges et reges coercebis imperio. Habes idem ornatu demto 2 Sam. VII, 10. ולא יוסיפו בני עולה לענותו. „Non amplius te torquebunt filii iniquitatis„ h. e. *hoſtes*, ut ſupra probatum dedimus. Nihil etiam aptius quam conferre pſ. LXXXIX, 23.

לא ישיא אויב בו ובן עולה לא יענגו

Non exiget eum barbarus, neque hoſtis torquebit eum. אפסי ארץ ſunt fines Palaeſtinae, ים (mare mediterraneum) et נהרות flumina (Euphrates et Tigris) Pſ. LXXXIX, 26. רעע et נפץ ſunt poetica.

v) Vid. H. E. Warnekros Hebraeiſche Alterthümer. Weimar. 1782. 8. p. 305.

Denique de admonitione adiuncta v. 10. 12. in memoriam reuocamus, quod supra de הוסרו, השׂכירו et נשׂקי בר monuimus. Hoc unum sibi vult haec exhortatio: „definite bellare, nec ipsi perniciem vestram molimini. Ac tu eos, Iehoua, a prauis eorum consiliis, minis, poenis, et si quid habes grauius, absterre.„ Cf. Ps. XLIX, 25, LXXXIII, 10, 11. etc.

Vicimus igitur, de rege humano inter Israelitas constituto praecipue autem de Dauide, valere singula, nec obstare, quae id rejiciant, argumenta grauia. Iam cum nihil inesse possit toti, ut cum philosophis loquar, quod non efficiant partes, neque ex compositione sententiarum oriri possit sensus arcanus, qui discrepet a partibus, cuiusque elementa et fundamentum hae non continuerint, totum etiam psalmum de Dauide esse explicandum, cogitur. Atque de hac interpretatione nostra ita sumus certi ac persuasi, ut defendere eandem ab omnibus objectionibus, quae sunt ex ipso carminis tenore petitae, audeamus.

Verum enim vero loca N. Test. Act. IV. XIII. Hebr. I. IV. cum hac explicandi ratione conciliare, Theologorum varias immo diuersas de hoc carmine sententias recitare, recitatas examinare, examinatas refellere, et quam vim habeat totum ad religionis christianae dogmata explicanda, docere; cum sit res paulo impeditior et grauior, angustia loci et temporis prohibemur. Itaque haec et plura quae obseruauimus, in proximam occasionem huic similem differimus.

Theſes ventilandae.

I. *Quo quis ſapientior, eo liberior. Deus igitur, quo nemo magis ſapit, maxime liber eſt.*

II. *Recte de libertate pro ſuo conſilio ſenſit Cic. in Parad. IX. „Libertas eſt poteſtas viuendi ut velis. Quis autem viuit ut vult, niſi profecto, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata atque prouiſa eſt?„ etc.*

III. *Poenarum poſt hanc vitam, quas poſitiuas vocant, aeternitas, neque ratione duce demonſtari neque ex Matth. XXV, 45. ita probari poteſt, ut nihil, quod attendi meretur, objiciatur.*

IV. *Horatii Epiſtola ad Piſones male ars poetica dicitur. Hypotheſi autem Wielandiana, quamquam nihil eſt ſubtilius, aliquid tamen eſt, quod videatur veriſimilius.*

V. Παννυχοψυχία, *quam dicunt, ſacris litteris, ſi non confirmatur, certe non refellitur,*

VI. *Pſalmus XLV. in Meſſianis non eſt habendus.*

Fd 3984

ULB Halle 3
002 164 590

TA-OL

V317

Mo.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-495492-p0031-5



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-495492-p0032-1

YRARVM

IN

M SECVNDVM

ERIORVM

PARS I.

CO - PHILOLOGICO - EXEGETICA

QVAM

MIAE MAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

OMINO

) AVGVSTO

CI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE

TPHALIAE CET.

SSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

HILOSOPHIA HONORES

TATEM RITE IMPETRATVRVS

MART. MDCCLXXXIII.

VDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

ODOFRED. HASSE

MARIENSIS

IEN. AB EPIST.

ENAE,

TRANCKMANNIANIS.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches